DISPUTATIO PRACTICA DE AUTORITATE LEGUM HUMANARUM, QUAM ... IN ILLUSTRI AD SALAM...

Johann Friedrich Nicolai, Georg Rick, Valenti Gonzaga





§. 1.

SPonte & ultro ea, quæ probitatem & laudem præ se ferunt, non coactu & præscriptis legum exsequi, Hominis Sapientis & Christiani est. Verum corruptæ naturæ perversitate, quam ab ortu quisque trahit, homines eo deducti sunt, ut plurimi formidine magis pœnæ compulsi, quàm amore virtutis stimulati, à delinquendo coerceantur. Quæ perpendens Veneranda Antiquitas non potuit non incitamentum ad pietatis & virtutis exercitium suppeditare & prudenter legibus providere, ne è radicibus istis, quæ animum insident, innumera alia impunè propullularent. Rectè enim Poeta:

Quid tristes querimoniæ, Horat. L. III.
Si non supplicio culpa reciditur? Ode. XXIV.

Et quanta illarum Legum sit utilitas, rerum omnium Magistra Experientia satis superq; loquitur. *Lex* enim *Jubet secundum* *Aristot. L. V.* *quamvis Virtutem vivere, & prohibet secundum quodvis vitium* *Nicom. C. V.* *vivere.* Et *ut ex Medicinâ nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad Corporis utilitatem spectat, quoniam ejus causa est instituta: sic* Cic. Jnv. I. 68. *à Legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod Reip. conducat, proficisci, quoniam ejus causa sunt comparatæ.* Quamobrem omnino etiam atq; etiam cavendum est, ne vel à Majoribus repertas, vel adhuc hodie à Magistratu Legitimo leges sanctas sancitas, oblivione obruamus aut contemptas atq; abjectas temerè abrogemus: cùm neq; Civitas ulla extiterit unquam, vel extare etiam possit, quæ suas non habuerit, aut habeat leges. Quemadmodum autem *Leges & præmia rectè agentibus & supplicia delinquentibus proponi* jussit Plato, ita hanc esse vim etiam Legum humanarum, prout ingenii vires tulerint, latius, Deo favente, exsequi conabimur.

§. 2. Præmissâ promulgationis Legum Origine earumque utilitate, bonum factum videtur, antequã *quæstionem ipsam,*

quâ disputatur: *Utrum Leges humanæ obligent Conscientiam?* aggrediamur, illam resolvere, & singula prius Verba examinare. Illis enim præsuppositis, faciliori negotio *quæstionem ipsam* decidere licebit. Primo autem loco consideranda venit *Lex: Quæ est sententia à Magistratu publico & legitimo, vel ore, vel scriptis, publice prolata, quâ agentibus rationalibus sub promissione præmii bona facere, & sub comminatione pœnæ mala fugere, præcipit, eosq; ad obedientiam sibi debitam obligat, ut salus publica & privata servari possit.*

§. 3. Consideratur autem hic Lex non *in statu aberrantiæ & corruptionis*, sed *in statu naturali & perfectionis*. Alias spectari potest vel *specialiter & proprie*, vel *generaliter & in statu præcisionis*. Hoc posteriori modo abstrahitur à justo & injusto, licito & illicito, ut illud etiam, quod injustum est, Lex appelletur, cùm tamen non nisi purum putum Legis nomen habeat. E.g. Hyrcanis Lex fuit, ut Parentes senectute confectos filii mactarent, aut mortuos canibus dilaniandos præberent; à Populis Orientalibus, qui ad Septentrionẽ vergunt, ferunt Legẽ statutũ apud plerosq; eorum esse, ut peregrini etiam ignoti (modo sint colore candidi) novas nuptas constuprandas à suis Maritis accipiant. Verum has esse Leges veri nominis & justas, quis crediderit? Ejusmodi sane edicta, quæ Legi naturæ manifestè contradicunt, & quæ sana ratio atque conscientia ipsa refutat, nunquam vel Plato, vel Cicero Leges esse dixerit. Audiamus M. Tullium, Virum ingenii singularis, qui sapienti sanè ratione Leges istas refutavit: *Jam vero stultissimum illud est*, inquit, *existimare omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis aut Legibus. Etiamne si quæ sint Tyrannorum Leges, si triginta illi Athenis Leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur Tyrannicis Legibus, num idcircò hæ Leges justæ haberentur?* Pudor sane, licet Lex ista non vetaret, vetat. Abhorret ipsa natura! Unde *Imperata* fuerunt, non Leges, nisi terminum *æquivoce* sumere velimus. Nam approbamus illud: *Mihi Lex esse non videtur, quæ justa non est.* Quando vero sumitur *specialiter & proprie*, quatenus Lex bona, justa, licita, fundamentum habet in Lege naturæ, & ad conservandam salutem status publici & privati est de-

Lambertus Danæus Polit. Christianæ L. V. C. 1. p. 323.

Lib. I. de Leg. §. 42.

August. L. I. de Lib. Arbitr. c. 5.

determinata, tunc *legem veram & proprie sic dictam* esse, cui obedientia præstanda est à Subditis, propter fundamentum in Lege naturæ, adeoq; consequenter in ipsa Lege divinâ, dicimus.

§. 4. Diximus: *Lex agentibus rationalibus bona agere & mala fugere præcipit.* Ergo apparet, quod *bruta* & *inanimata* excludamus. *Illa enim non sunt sub Lege* (1) quia Leges præscriptas non intelligunt. (2) in Lege divinâ etiam damnum à brutis ortum in herum devolvitur. *Subjectum* igitur *recipiens* Leges non sunt, quamvis *materia sive Obiectum* Legis esse possint. *Sed dicas*: Leges ipsis præscribuntur, secundum quas etiam puniuntur. Verum Resp. Quod nemini nisi illis, qui ratione sunt præditi, leges proprie sint præscriptæ, ut luculenter patet Exod. XXI. v. 1. Levit. XX. v. 22. Ubi Deus, quod Lege præcepit, non bruta, sed homines servare jubet. Ad id autem quod attinet, quando bruta secundum Leges à Deo datas puniuntur, non fit illud ideo, quasi essent *subjecta Legum*, & contra Legem *proprie* deliquissent, sed ad demonstrandam exaggerationem potius & detestationem ipsius facti. Quod inprimis patet in simili. Quando funditus in V.T. exscindebantur totæ Urbes, neque ædificia, neq; bruta, sed homines tantum peccaverant, pœna tamen in omnia derivabatur. Quo referimus etiam exemplum Achanis furis, qui cum totâ supellectile combustus est, non quasi supellex ista peccasset, sed fiebat hoc, ut major facti ab ipso perpetrati demonstraretur abominatio & ut homines eo magis cogitarent, quam detestabiles sint actus flagitiorum. Interim *Legem naturalem* (quanquã hoc respectu umbra potius legis appellari debeat) illis non denegaverimus in illis, qualia sunt, quæ cum hominibus habent communia, scilicet, se ipsum defendere, fœtum amare & alere. Sed hæc plura dici postularent. Legem vero positivam non illis, sed tantum agentibus rationalibus competere asserimus. Cætera in definitione nota sunt.

Exod. XXI. v. 29. 35. 36.
Levit. XX. 15.
Exod. XXI. 28
Gen. IX. v. 5.
Josua VII.

§. 5. Ita Legem ejusq; definitionem exsecuti sumus. Sequetur Ergo *Causa Efficiens Legis*, quæ hic est *Homo*, unde appellantur etiam *Humanæ*. Et sunt tales Leges, quas homines pro Reip. Honestate, Utilitate, Necessitate & Circumstantiis aliis

conſtituerunt. Quales autem Homines, utrum *Privati*, an vero in *dignitate vel Officio ſummo conſtituti*, in definitione Legis §. 2. indicavimus. Nemo enim poteſt Legem dare, niſi *poteſtatem habeant ſufficientem jurisdictionis & coactionis*. Quam ſoli Magiſtratui mediate à Deo traditam competere etiam S. Scriptura docet.

Rom. 13. v. 1. ſeqq.

§. 6. Quando vero *humanæ* appellantur, fit illud ideo, quia ab hominibus *immediate* promulgatæ ſunt. Qui autem in hoc negotio non ſunt conſiderandi in *ſenſu compoſito*, ſed in *ſenſu diviſo*. *Illo* enim *modo* conſiderantur, quatenus *per lapſum ſunt depravati*. Quo reſpectu nihil niſi malum ex malâ radice progerminare poteſt & omnia inter vitia poni debent. Atq; in hac ſignificatione conſiderandi etiam ſunt illi, qui tales impias Leges (ſi ita appellari fas eſt) promulgarunt, quarum mentionem fecimus §. 3. *Poſteriori* autem *ſenſu* intelligitur *Homo*, qui eſt *depravatus*, & ut rudera adhuc imaginis divinæ in eo reſident, è quibus Leges iſtæ, quas *humanas* appellamus, originem trahunt.

Gen. VI. v. 5. cap. VIII.

§. 7. Sunt autem Leges iſtæ vel de *rebus Majoris* vel *Minoris momenti*. *Illæ* ſunt, quando immediate & abſolute conſideratæ, Deum ipſum vel alias res arduas reſpiciunt, ut Religionis, Pacis Publicæ & privatæ conſervationem &c. *Hæ* vero bonæ quidem, juſtæ & legitimæ ſunt, *immediate autem & ratione ſui conſideratæ* Deum non concernunt, ſed tantum *mediate* ſub hoc reſpectu, quatenus ab illis, qui poteſtatem à Deo acceperunt, ſunt promulgatæ. Et tales ſunt v. g. de venatione, deſtinatâ horâ, die, aut tempore certo peragenda emptione & venditione &c.

§. 8. Hactenus de *Legibus*, eisq; *humanis*. Reſtat igitur ut *Conſcientiam* & illius *obligationem* paucis explicemus. Eſt autem *Conſcientia actus mentis, quo facienda dictantur & facta dijudicantur*. Eſt autem *Conſcientia* vel *Bona* vel *Mala*. Hæc eſt *actus mentis recordantis eorum, quæ contra naturalia aut illuminata principia ſunt perpetrata, & homini convicto metum accuſando & condemnando incutit*. Illa *eſt actus mentis recordantis eorum, quæ cum naturalibus aut illuminatis principiis, qualia in hominem cadere*

Meiſnerus de ſummo bono Cap. III. q. 2. p. 210.

dere possunt, conveniunt, & hominem excusando vel absolvendo tranquillum reddit. Ex quibus videmus, quid sit *bona Conscientia,* ut sane non abs re Poëta cecinerit:

—— —— Hic murus aheneus esto, *Horat. Lib. I. Epist. I.*

Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

De quibus vide plura apud *plur. Rev. & Excell. Dn. D. Botsaccum de Ecclesia Dei praeclarissime meritum, Hospitem olim Gedani Optimum in Moral. Gedan. Tit. Conscientia.*

§. 9. Ad *Obligationem* deniq;, quae examinanda adhuc restat, quod attinet, ea sic describi potest, quod sit *necessitas moralis, quâ tenetur Voluntas humana conformare se Voluntati Nomothetae ad exsequenda ea, quae Lege praecipit.* Et est vel *Coactiva sive Violenta,* quando inferior à superiori metu poenarum in Lege propositarum cogitur ad exsequenda ea, quae Lex praecipit; vel *directiva* sive *paedagogica,* quando omnes & singulos sive superiores sive inferiores Lex dirigit ad agendum ea, quae praecipit, sive quod idem est, est vel *externa in foro Politico,* quemadmodum omnis transgressio Legis poenam infert, vel *interna,* quando interne cogit *in foro Conscientiae,* qua aliquis Legis transgressione Deum offendens conscientiam accipit sauciatam &, se peccasse atq; poenam promeruisse, convincitur.

§. 10. *Transgressio* vero ista vel est *generalis,* quatenus peccatum impingit in generale praeceptum Dei, ex quo per bonam Consequentiam elicitur, Conscientiam hac ipsa transgressione esse laesam; vel *Specialis,* quatenus peccatum impingit in speciale praeceptum Dei, ex quo immediate sequitur, conscientiam hac ipsâ transgressione esse sauciatam. Quod si igitur *transgressio* est *generalis,* tunc *indirecte & mediate,* quia ipsius generali ordinationi resistitur, Deum offendimus, & Conscientiam laedimus; si vero est *specialis,* tunc *directe & immediate* Deum offendimus & Conscientiam laedimus. Potest autem *transgressio* ista fieri (1) vel circa *Leges veri nominis,* adeoq; *bonas* & *justas,* vel circa *falsi nominis, injustas & iniquas. Posteriori modo* non obligatur Conscientia, sed *priori modo*; (2) vel circa *necessaria,* quae nunquam sine Offensione Dei & laesione Conscientiae fieri potest, vel circa *Adiaphora,* quae non obligat Conscienti-

am,

am, modo evitetur Scandalum. Et hæc *transgressio* iterum fit vel ex *Magistratûs contemptu*, quatenus Magistratum contemnimus, &, ipsi obediendum esse, negamus. Et sic omnino vulneratur Conscientia; vel ex *ignorantia simplici*, quatenus vel Legem vel Legis sensum ignoravimus, quæ, fraude & dolo absente, conscientiam non lædit.

§. 11. *Voluntas* tandem *conformari* debet *Voluntati Legislatoris*, non tantũ *quoàd rem ipsam*, sed etiã *quoad modum*, ut præcisè ita fiat, quomodo Legislator fieri rectè voluit. Potest enim Legislatori aliquid placere, cum tamen displiceat modus. Quo referre solent exemplum illud *Davidis* & *Salomonis*, de exstructione templi. Quæ exstructio Deo quidem placebat; modus autem iste, nimirum ut fieret per Davidem, displicere poterat. Eadem ratione potest se res habere in aliis causis.

§. 12. Explicatis itaque iis, quæ exponenda videbantur necessariò, superest, ut *quæstionem ipsam* aggrediamur. Ut autem eo melius *status Controversiæ* appareat, illum, semotis minus Controversis, constituemus. Sciendum itaq; est, quod hic non quæratur: *an Leges humanæ obligent in foro Politico?* Illud enim nemo facile Christianorum negaverit. *Cardo* autem *Controversiæ* in hoc vertitur: *an omnes Leges humanæ à legitimo Magistratu latæ obligent Conscientiam, ita, ut transgressione illarum & Deus offendatur & Conscientia saucietur?* Calviniani illud negant, ut Calvinus & Sibrandus, quos citat *Meisnerus Philos. Sobr. P. III. Cap. IV. S. II. Q. XII. p. 760.* & *Gerhardus de Magistr. §. 267.* In quâ sententiâ etiam videtur esse *Danæus Polit. Christ. Lib. V. C. II. p. 332. seqq.* Pontificii vero illud simpliciter affirmant, vide *Cit. Aut.* Verum ad omnia fermè illorum argumenta ex subsequentibus facilè poterit responderi. Nos secuti viam mediam dicimus (I) *Non omnes Leges humanæ obligant Conscientiam.* (II) *Omnes Leges humanæ obligant Conscientiam.* Ad primum Aphorismum quod attinet, quod *non Omnes Leges humanæ obligent Conscientiam*, probamus (1) ex Legum naturâ, quia multa, quæ præcipiuntur, non sunt Leges vere tales, quemadmodum ostendimus §. 3. ubi Autoritatem *Augustini* & ipsius etiam *Ciceronis*, qui fuit tamen Gentilis, adduximus. (2) ex *S.*

Scri-

Scripturâ, quæ impiis Legibus contra Deum & ejus verbum pugnantibus obtemperare prohibet. E. Conſcientiam obligare non poſſunt, quia iis parendum eſſe S. Scriptura, & ſic Deus ipſe, qui Conſcientiis tantum dominatur, negat.

§. 13. Quando in Aphoriſmo Secundo diximus: *Omnes Leges humanæ obligant Conſcientiam*, cum grano ſalis id accipiendum eſt. Etenim non intelligimus *Leges qualescunq;*, ſed tantum eas, quæ (α) *ſpecialiter & proprie* ſumuntur, vide §. 3. ſive intelligimus *Leges veri nominis*, quæ *piæ, juſtæ* & *licitæ* ſunt, vide §. 10. (β) quando transgreſſio circa *neceſſaria*, vel etiam *Adiaphora cum ſcandalo conjuncta*, fit, §. 10. (γ) ex *Magiſtratûs contemptu atque malitiâ & ignorantiâ affectatâ.* §. 10. Quod hæ obligent Conſcientiam patet (I) *Ex Scripturâ S. Rom. 13. v. 1. & ſeqq.* In quibus verbis Apoſtolus obediendum eſſe Magiſtratui oſtendit, quia (a) *eſt à Deo ordinatus*; (b) *honor & contemptus in ipſum Deum redundat, & reſiſtens Deo ipſi reſiſtit*; (c) *reſiſtens judicium ſibi acquirit.* In Græco Textu eſt: ἑαυτοῖς κρῖμα λήψονται, h. e. ſibi ipſis judicium accipient. *Periculoſum* vero *eſt & cum exitio conjunctum, accelerare ſibi judicium & pœnas, tum per Magiſtratum, tum etiam immediate à Deo infligendas. Ergo, ſub hac neceſſitate declinandæ pœnæ temporalis ſimul & æternæ, Magiſtratui ejusq; legitimis mandatis Chriſtiani parent.* *Hunnius in h. l. p. 466.* Hinc Septim. Flor. Tertullian. Apol. XXXII. *Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus; id in eis ſcimus eſſe, quod DEUS voluit & pro magno adjumento habemus.* (d) *Dei miniſter eſt, & non ſine causâ gladium gerit, ſed ad puniendos malos & defendendos bonos.* Eſt igitur quaſi Manus Dei, quâ utitur in his terris, adeoque ipſi Deo, tanquam cauſæ remotæ eſt tribuendum, quicquid ratione ſui officii agunt. Et quemadmodum ignominiam, quâ Principis alicujus Legatus afficitur, Princeps ſibi ita appropriat, quaſi ille ipſe eam expertus eſſet: eâdem etiam ratione Deus ſuos Legatos, Magiſtratum ſcilicet, defendit. (e) *Neceſſario debemus eſſe ſubditi, non tantum propter iram, ſed etiam propter Conſcientiam. Danæus in ſuâ Polit. Chriſt. c. l.* ita hæc Verba explicat: *Propter Conſcientiam Magiſtratui ſubditi eſſe debemus, non ut ſingulis Magiſtratuum Legibus parere propter Conſcientiam de-*

 bea-

beamus: verum ut ordinem illum à Deo in universum constitutum, & Magistratuum autoritatem à Deo generaliter ordinatam esse intelligamus. Rationem dat istam: *Solius Dei, non hominum præcepta nostras Conscientias obligant.* Unde tandem p. 334. in hæc verba: *Justum illius loci interpretamentum à nobis est allatum, nempe non debere pios singulis Magistratuum Legibus parere propter Conscientiam, id est, quasi propterea suam Conscientiam lædant, sed debere eos agnoscere publicum illum Magistratus ordinem, ejusq; autoritatem à Deo esse, ac proinde illi parendum, in quibus non resistit ipse Magistratus Deo.* Sed Resp. concedendo (1) quod non debeamus parere omnibus Magistratuum Legibus, scilicet iis, quæ sunt contra honestatem, charitatem proximi, & verbum Dei, & quod ejusmodi non obligent Conscientiam; (2) quod debeamus agnoscere publicum illum Magistratus ordinem esse à Deo, adeoq; illis resistere non liceat. Verum ideo hæc non debent intelligi *exclusive*, quasi excluderetur obligatio Conscientiæ, sed *inclusive*, ut includatur ista etiam obligatio. Rationem, quam ille affert, limitando concedimus: quod nimirum solius Dei præcepta obligent Conscientias, scilicet *directe & immediate, indirecte autem & mediate* etiam Magistratuum præcepta, quæ sunt justa & pia; quia Deus generali hoc præcepto, quod Magistratui debeamus parere, etiam præcepit. Et quomodo ille, qui se Deum irasci novit, potest habere Conscientiam bonam? Quod autem in Dei iram Transgressor legum humanarum, qui ordinationi divinæ resistit, incurrat, expresse indicat Apostolus. Quamobrem dicimus: *Propter Conscientiam obediendum est,* i. e. *Conscientia fit rea coram Deo, meretur iram Dei, excutitur ex gratiâ Dei, quando repugnat justis legibus & mediocribus gubernationibus.* Conferatur etiam *1. Pet. 2. v. 13.* ubi Petrus gravissimas causas proponit, propter quas Magistratui obediendum sit, (1) propter Deum, qui illud præcepit, (2) propter pœnas, quæ inobedientes sequi solent, (3) propter laudem & contra malos defensionem, (4) propter calumnias, ne nomen Dei propter inobedientiam nostram Blasphemetur, vide Gerhard. in h.l. (II) *Ex Legum Naturâ.* Nam omnes Leges, quæ se ita habent, quemadmodum eas descripsimus, fundatæ

B. Chemnitius Locor. Theol. P. II. p.m. 170.

datæ ſunt in *Lege naturæ*, & fluunt ex eâ, tanquam rivulus ex fonte.

§. 14. Non intelligimus autem *Obligationem uno eodemque modo*, quaſi Leges humanæ eandem in obligandis Conſcientiis haberent virtutem, quam habent Leges divinæ. Nam (I) Omnes Leges humanæ, quà tales ſunt, in ſe & ſuâ naturâ non ſunt immediate à Deo; neq; etiam omnes directe de Deo & rebus divinis agunt: ut e. g. de non geſtando gladio, de purgatione platearum &c. Quomodo igitur eandem Virtutem, quam divinæ à Deo ipſo immediate datæ habere poſſunt? Obligant igitur *indirecte & mediate* tantùm ejus Conſcientiam, qui eas transgreditur, ideo, quia reſiſtit ordinationi divinæ, & detrectat imperiũ ejus, cui ex mandato divino eſt ſubjectus. Quare obediendũ eſt, non tantũ *propter evitandam pœnã*, ſed inprimis *propter conſcientiam*, quam ſalvam & illibatam retinere debet. (II) *quia Magiſtratus non poteſt dominari Conſcientiis*: quod rectiſſime olim intellexit Stephanus Batoræus Poloniæ Rex, quando tria Deum ſibi reſervaſſe dixit: (1) *ex nihilo aliquid facere*, (2) *futura ſcire*, (3) *Conſcientiis dominari*. Si igitur altiſſimus ſolus ſibi vendicat dominium, E. Magiſtratui hoc non competit. Et ſic etiam Magiſtratus Leges *directe & immediate* non poſſunt obligare Conſcientiam. Huc accedit (III) quod neq; Magiſtratus id intendat, ſed tantum ad externam pacem & conſervationem Reip. eas promulget. Quod autem obligent Conſcientiam, *non fit per & propter ſe*, quia Magiſtratus illas dedit, ſed *fit per aliud*, quia ille, qui Leges iſtas juſtas à Magiſtratu propoſitas transgreditur, Deo *mediate* reſiſtit.

§. 15. Ex his igitur apparet, *quæ Leges humanæ* & *quomodo* obligent Conſcientiam. Quæ cum ita ſint, paucis etiam (pace tamen illorum, quorum eſt hæc ex profeſſo diſquirere) videbimus *Leges Magiſtratus vel Ethnici vel Impii & Hæretici*, & quid de illorum Legibus ſtatuendum ſit, indicabimus. *Dicimus autem, quod omnino etiam illorum Leges, quatenus ſunt juſtæ & licitæ, obligent ſubditorum Conſcientiam.* Quod probamus (I) *ex Scripturâ S. Rom. XIII. v. 1. & ſeqq.* & *1 Pet. 2. v. 13. & ſeqq.* Ubi *ſine ulla exceptione & limitatione* Obedientia à Subditis exigi-

 tur.

Dan.V.v.21. tur. Præterea etiam omnis poteſtas à Deo ordinata eſt. *Nam Deus regnum terrenum & piis & impiis dat, ſicut ei placet, cui nihil injuſte placet. Qui Mario, ipſe Cajo Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſiano vel Patri vel Filio ſuaviſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo, & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Juliano. Hæc unus Deus, unus & verus regit & gubernat, ut placet: etſi occultis cauſis, nunquid injuſtis?* Unde etiam reſiſtit ordinationi divinæ, qui Magiſtratus impii Legibus juſtis reſiſtit, ſicut is, qui pii & Chriſtiani. Permittit autem Deus ejusmodi Magiſtratum *non ſine cauſâ, ſed propter ſubditorum peccata, & ad probandam bonorum patientiam & iniquitatem malorum puniendam.* (II) *Ab exemplo Chriſtianorum in primitivâ Eccleſiâ*, quos commendat *Auguſtinus in Pſalmum CXIV*, quando dicit: *Julianus extitit Imperator infidelis. Nonne extitit Apoſtata, iniquus, idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem: ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à domino temporali, & tamen ſubditi erant, propter Dominum æternum, etiam domino temporali.* Quod ſi autem minus honeſta præceperint, audiendus eſt Apoſtolus Act. V. v. 29. Ita etiam prudenter Socrates ad Judices aliquando dixit: *Vos, O Viri Athenienſes, complector quidem, & amo; at Deo potius quam vobis obtemperabo.* Vide plura in *Phil. Sobr. Meiſneri P. III. S. II. C. III. Q. II. pag. 696. ſeqq.*

August. Lib. V. de Civit. Dei Cap. XXI.

Job. XXXIV. v. 30.

Prov. XXVIII. 2.

Plato Apolog. Socratis p. 23.

§. 16. Verùm cùm omnes Leges piæ & juſtæ obligent, ſequatur etiam neceſſum erit, ut *ipſe Magiſtratus ſummus obligetur. Divinis & Naturæ Legibus* quod ſit obligatus, nemo ſanæ mentis unquam negare audebit, cum S. Scriptura hoc præcipiat. Sunt enim ſubditi & Cives ſummi Dei, E. ipſius etiam legibus ſeſe debent ſubjicere. Quas vero ſi violaverint, vindictam dubio procul Deus & ab illis ſumet. *De Legibus autem humanis & poſitivis, quas naturalis ratio inter homines conſtituit, hic potiſſimum ſermo eſt.* Sunt qui negant: tum propter Legem iſtam

Deut. XVII. 18. ſeqq.

Rom. II. v. 14. 15.

Ulpiani: *Princeps Legibus est solutus:* tum quia Magistratus est leges dare & imperare aliis, non vero accipere & obtemperare: tum ob rationes alias, quas vide apud *Gerh. de Magistr. §. 265.* Verum, *quicunq́ praecepta dat hominibus, ac vitam moresq́ fingit aliorum, quaero, debeatne ipse facere, quae praecipit, an non debeat? Si non fecerit, soluta praecepta sunt. Si enim bona sunt, quae praecipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse Praeceptor à numero cœtuq́ hominum segregare, inter quos agit: & ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum, ne si aliter vixerit, ipse praeceptis suis fidem detrahat, leviorem q́ doctrinam suam faciat, si re ipsa resolvat, quod verbis nitatur astruere.* Unde Keckermannus: *Ne cogitet Princeps aliquis se omnibus Legibus omninò esse solutum. Nam etsi in Regno suo libere quidvis perpetrare possit, nec tamen pro judicio sisti, facile fieri potest, ut alius quidam Princeps eum devincat & in suis Regnis pertrahat, ut ibi cogatur reddere rationem suorum factorum, imo & Capite plecti, sicut accidit Neroni, qui etiam gloriabatur, se non Leges accipere, sed dare: nam nisi is violentas sibi ipsi manus inferens supplicium de se sumpsisset, à populo Rom. graviori fuisset supplicio affectus.* Quamobrem etiam nos adhibitâ istâ distinctione, quam §. 9. explicavimus, scilicet inter *obligationem coactivam* & *directivam* dicimus, quod, quantuvis Magistratus summus non sit obligatus Legibus istis humanis positivis, quoad *obligationem violentam* & *coactivã*, quia nullus hominum Magistratum summum potest coërcere, & eum pœnis ad officium redigere; est tamen omnino obligatus quoad *obligationem paedagogicam & directivam*, quia Magistratus recte etiam agere & justitiâ universali praeditus esse debet. Cum autem justitiae primus actus, quemadmodum Ethici docent, in eo consistat, ut quis agnoscat se esse subjectum legibus, necessarium est, ut Magistratus etiam summus sit sub Legibus, nisi universalem sibi justitiam competere velit negare. Praeterea etiam Magistratus non saltem alios sed & se ipsum Legum habenis ideo debet moderari, ut in se ostendat, quid à suis subditis factum velit: quippe quod *exemplo bono* multo felicius subditos regere possit, quam edictis & mandatis. Unde Ovidius:

Lactantius L. IV. de vera Sap. Cap. XXIII. p. 249.

Lib. I. Syst. Pol. Cap. II. p. 19.

Lib. 6. Fast.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur.
Cum Judex, alios quod monet, ipse facit.

Interim de *Omnibus Legibus* hoc non est accipiendum, sed tantum *de iis, quæ Magistratui conveniunt*. Legibus enim, quatenus sunt *Objectum Justitiæ* & *Regula*, unusquisque, & sic etiam Magistratus, se debet subjicere, non minus ut ipsi Virtuti. Quod vero si non fecerit, pœnam aliquando Dei experietur, quemadmodum *Nero & alii*. Verum *quatenus sunt medium & instrumentum*, quo Magistratus regit Rempublicam, & subditis tantum sunt datæ: E.g. de non gestando gladio, veste sericâ incedendo, &c. Magistratui non conveniunt, & sic etiam illum non obligant, sed ipsi subservire debent. Quod eleganti aliquo simili, à Cœco & ipsius famulo desumpto, illustrat *Keckerm*. (Syst. Pol. L. I. C. III. p. 85.) *Capiatur*, inquiens, *exemplum ab homine cœco, qui à suo famulo in rectâ viâ ducitur, quatenus famulus hunc dominum cæcum regit, eatenus dominus famulo est inferior, & famulo subjicitur: quatenus vero servum consideras, ut instrumentum serviens suo domino, utiq; servus, utut oculatissimus, tamen domino suo cœco subjicitur. Et hoc quidem modo, quatenus Lex est causa minus principalis, eatenus Princeps est dominus Legum, ita ut eas possit Reip. accommodare.*

§. 17. Atque hæc sunt, quæ in præsentiarum in medium afferre voluimus. Plura qui desiderat, consulere poterit Autores supra Citatos, & *Hornejum in Philos. Morali Lib. IV. Cap. III. de Prud. Legislat.* Nos concludimus cum *Bernhardo* super Cant.:

Veniet dies Judicii, ubi plus valebunt pura Corda, quam astuta verba, & Conscientia bona, quam Marsupia plena, &

Gloriam Referimus Unice Sanctissimo.



San-

SAncta Magistratûs nil prosunt Jura severi,
Nî Virtute suâ corda ligare queant.

SEBASTIANUS Niemann/ *D.*
P. P. & Superint.

VIRO-JUVENI
Per-Eximio & Politissimo Dno.
GEORGIO RICKENIO,
SS.Theol. & Philos. Studioso indefesso, felicissimo;
Amico & Fautori mihi longè dilectissimo,
cum
Eruditam *de Legis Autoritate* Commentationem ederet, S.

QUàm benè *Leucoreos* Tibi res sit gesta per amplos
Campos, *Lex Tua* nunc non sine laude docet.

Honori & Virtuti RICKENIANÆ
sic festinantissimus litabat
GEORG. GOEZIUS, Moral. P.P.

LEX. OSTENDIT. CIVEM.

LEucoris *incepit benè, consummato* Salana
Civem, *quemq́; VIRUM Lex docet esse BONUM.*

Gemino igitur Jure
TE
ERUDITISSIME DN. AUCTOR,
FAUTOR COLENDE,
Pii omnes atq; eruditi
laudant
&
Florentissima JENA nostra
felici omine accipit,
de quo rectè gratulor
PRÆSES.

OBLIGATIONE MUTUA.

LEgibus humanis dum *pondus inesse* probatur,
Demonstras studiis *pondus inesse* Tuis
Se Tuus assiduis virtutibus *obligat* Ardor,
Se pariter virtus *obligat* ipsa Tibi!

Ita Fautori ac Conterraneo suo honorando gratulabundus sincero pectore assurgit
CHRISTIAN: Specht/Gothingâ-Saxo,
S. S. Theolog. Studios.

DUm pulchro studio doctas accedis Arenas,
Fac reduci cedant florida serta Tibi.

Sic Amico ac Contubernali dilectissimo
gratulabundus acclamabat
MICHAËL EVVALDUS, Dantiscanus.

QUæ ratio legis, dissertas, &, quibus illa
Viribus adstringat, ritè pieq; doces.

Ita Erudito Dno: Autori Respond. contubernali suo dilectissimo gratulabundus acclamare voluit
SAMUEL LINDEMANN, Starg. Pom.

---

*DIfficiles Curis paulum discedite Musæ,
Sacras Vobis Apollo dedit Ferias.
Namque nimis Fervens ardenti Sirius Oestro
Siti molestâ Corpus omne conficit.
Et sudans studiis Cerebrum mala plurima reddit,
Sibi Tabum, Quiem Genio, Membris Luem.
Frigidus incaluit sanguis, venæque tumescunt;
Mentemque curiosæ macerabitis?
Complures lætæ cur non vivatis in annos?
Nec hisce terminandus est horis labor.*

De otio honesto scribebat
Amico minime Otioso
AMANDUS HELICONIUS.